

- I. *Primitia* Christus præcessit, magna sequetur prægressum tantum rite caterva Ducem.
- II. Propterea & *corpus* preciosâ morte redemit, ne fœdo jaceant ossa sepulta sitû.
- III. hic *caput* est nostrum, nos *membra* decora sequemur,
- IV. sic erimus *regni portio* perpetui.
- V. Hoc etiam nobis dat *sanctificatio* nostra, nam *Flatûs* sancti splendida *templa* sumus; hæc pereant, nullas habeat calor entheus ædeis, in quibus exspiret, calfaciatq; focum.
- VI. Et quia *vivificâ* sunt corpora *carne* cibata in *Cœnâ*, hinc sequitur corpora viva fore.
- VII. *Justitia* lex est, pœnas (ut præmia) facti, quæ meruere, olim corpora cuncta luant.
- III. Sic *Abraham* vivit, sic *Isacus* atq; *Jacobus*, namq; est vivorum solus hic ipse Deus.
- IX. Sic *vidua* quondam demortue *gnate* revixit, *Entyche* sic quondam *Lazare* tuq; redis.
- X. Nonnè vides, *agris* ut *semina* sicca virescant, *mortua* quæ pridem quæq; sepulta forent, cæspitibusq; imis veteres meditentur aristas, triticei farris quæ tibi grana duint? Certè igitur tellus reddat patefacta necesse est, tradita quæ-fuerant corpora-cunq; sibi.

Et sanè quid clarius est, quàm quod ipse apud Johannem
 π *Christus* dicit, Veniet hora, in quâ omnes qui in monu-
 mentis sunt, audient vocem ejus (*Filiÿ-hominis, qui est Fi-*
lius Dei v. 26, 27.) & prodibunt, qui bona fecerunt in resur-
 rectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectio-
 nem condemnationis. *Nec enim* suscitabit tantûm *Chri-*
stus, sed & judicabit, quippe omne iudicium Pater ei tra-
 didit.

A 4

Et

(π) c. V, 28. 29. ubi vide Paullum Tarnovium in Comment. Bren-
 tium Homil. XLVII. in Johann.